

H.H. Rhen. inf.

162

H. C. Pfen. Inf. ~~123~~
123.

4

Gratiarum actio ad Deum, &
Congratulatio

*OB SERENISSIMI, POTENTIS-
simi, & Pientissimi Principis ac Domini,*

DN. FRIDERICI V.

COMITIS PALATINI AD RHE-
NUM, S. R. IMP. ELECTORIS, &c:

*Felicissimum atq; subditis exoptatissimum ex magna Bri-
tannia, post celebratas ibidem nuptias*

CVM INCLYTA HEROINA,
*SERENISSIMI AC POTENTIS-
simi Principis & Domini, Domini*

JACOBI,
MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ
AC HYBERNIÆ REGIS, FIDEIQVE OR-
THODOXÆ DEFENSORIS, FILIA VNICA,

ELISABETHA,
PRINCIPISSA VIRGINE,

*Heidelbergam reditum, atque augustissimum in illam cum Regia
sua Coniuge ingressum, die V Iunii.*

c1o 1o c XIII.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

DAVID FERDINAND

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

JACOB

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



QUONIAM debentur merita libamina laudis
Tergemino, cœli qui regit astra, Deo.
Nam bona concedit cornu prædite nobis,
Ac vitæ cursum protegit, ornat, alit.
Regibus ac Ducibus, mundi qui sceptrâ gubernant,
Producit fati pensa, colosq; breves.
Quo Themis ac pietas, & pax tutela duarum,
Rite coronatis cinctâ triumphet equis.
Ergo DEO iam nunc solvamus pectore grates,
Ac hymnum resonet Dadala lingua novum.
Namq; preces nostras non surdis auribus hausit,
Quas pro FRIDRICO fudimus ore, DEVS,
Hoc petiit sancti cœtus communio nostra
A summo punctum, qui regit omne, Deo;
Ut caput assereret FRIDRICI Principis alnum.
Pars huius voti nulla caduca fuit.
Nam patriæ patrem nostræ felicibus astris
Per mare deduxit difficilesq; vias,
Latus ut appulerit portum, tractumq; feracem,
Quâ sua semotus regna BRITANNVS habet.
Cæsareum capitis nostri decus atque coronam
FRIDRICVM stabili fovit & auxit ope.
Nauclerus, medicus, ductor, provisor & hospes,
Nonne DVCI nostro jam fuit usque DEVS?

Viribus ut sanis res procuraverit omnes,
Effugiens artem Paoniamque manum.
Præbuit os illi Charitum, Suadæq; leporem,
Egerit ut causas dexteritate suas.
Vnde sibi laudem solida virtute paravit,
Quo Phœbus latam cunq; colorat humum.
Nam suspexerunt illius Francus & Anglus
Ingenii dotes, iudiciumq; grave.
Quin etiam populis acceptum reddidit illum
Fœdere, consensu, mente, favore, fide.
Ut vigeat parvis dives Concordia rebus,
Ac stet firmatum pacis honore decus.
Consiliis largè benedixit, & omnibus actis
Tempore maturo, conveniente loco.
Præcipuè Regis, cui magna BRITANNIA paret,
Aethereo sensus perluit imbre sacros:
Gratus ut extiterit Regi, Regisq; dynastis,
Qui sunt pars Regni, fama, columna, basis.
Lucida Rex etenim pietatis stella IACOBVS
Hospitium nostro præbuit, ecce, DVCI.
Excipiens generum sincera fronte futurum,
Læticia pandit turgida vela nova.
Nam sibi FRIDRICVM selegit Filia Regis,
Ex aliis, ipsam qui petière, procis.
DVX igitur noster, compellans ordine Regem,
Magnanimo tales edidit ore sonos:
Inclyte Rex, fama nitidum qui tangis Olympum,
Laudibus & repleas Solis utramque domum;

Qui

Qui fidei sancta Defensor es, atque patronus
Musarum fidus, iusticiaque pater;
Qui potis es validis heros fortissimus armis
Hostiles pedibus supposuisse manus;
Non tibi sum meritis, non sum par viribus: ergo
Non mihi te precibus sollicitare licet.
Nam tria regna tibi; tria regia sceptrata gubernans,
Non tantum terra, sed dominaris aquis:
Attamen intrepidus tendam mea retia, forsax
Incidet in casses prada petita meos.
Nam juvat audentes fortuna volubilis, atque
Conando Græcis subdita Troia fuit.
Ambio Reginam Iuvenem, precibusq; requiro,
Incolat ut thalamum consociata meum.
Nam mihi sunt proavi regum de sanguine creti,
Cumq; meis atavis Anglia fædus iniit.
Regia deinde mihi domus est ac regia sedes,
In qua tuta quies paxque beata cubat.
Numinis est cultus mihi purus & omnia sacra,
Quæ monstrant sancta lege salutis iter.
Insuper est rerum felici Copia Cornu,
Semper & ad mensam fercula lauta mihi.
Montibus inque meis crescunt gratissima vina,
Ac varii generis terra metalla parit.
Quin etiam dominor Nicro, Rheniq; fluentis,
Quæ magna victum commoditate vehunt.
Denique destituor nullo, quod spectat ad usum
Humana vitæ, sidereamque domum.

Hoc quoq; colloquium benedixit Conditor Orbis,
Eventu claudens singula verba bono.
Rex etenim formam spectans ac Principis ora,
Virtutes, genus ac Martia facta patrum,
Præterea dotes animi, mentisq; vigorem,
Doctrinam, mores, iudiciumque grave;
Annuit: & pactis confirmans fœdera lecti,
In sociam vitæ participemque tori
Connubio junxit stabili, propriamq; dicavit
FRIDRICO Gnatam pronubus ipse suam:
Ut teneros generent natos, pia pignora lecti,
Quis conservatur stemma, propago, domus.
Post Hymenæa cibus egit convivium lautis,
Hospitibus præstans hospes amoris opus.
Largiter enutriit comites ephorosq; ministros,
Omnia suppeditans liberiore manu.
Hoc ego Conjugium tibi gratulor, optime Princeps,
Ut tibi sit faustum terq; quaterq; precor.
His ita transactis FRIDRICVS corde triumphat,
Ac Regi grates officiosus agit.
Denique finitis meliori sidere tædis,
In vera veri Relligione Dei,
Cum sociis DOMINVM reducem Nuptaque verenda
Ad patriæ duxit culmina grata, DEVS.
Felix ille dies, nostris quo redditus oris
Angligenum Princeps sospes ab orbe redis.
Quo repetita tuos iterum Germania vultus
Conspicit, & fruitur numine lata tuo.

Ergo

*Ergo tibi reditum, FRIDRICE, ter inclyte Princeps,
In patriam pleno gratulor ore tuam.
Gratulor adventum Reginae Coniugis ad nos,
Quae subit amplexus ELISABETHA tuos:
Exigat ut tecum Cumæa secula vatis,
Teque patrem multo pignore lata beet.
ELISABETHA, Dei requies, quam nomine signat,
Regina dignum nomen & omen habet.
Gratulor ingressum votis precibusque petitum,
Ambobusque simul fata benigna precor.
Lydia quot gemmas, quot profert Anglia lanas,
Quotque gerit lapides Tethyos unda sinu:
Tot bona contingant mensura divite Vobis,
Rideat & qui vis prosperitate dies.
Ergo tibi gaude, gaude Septemvir & heros.
Patria namque DEI rura favore subis.
Nunc iterum matrem, fratrem, charasq; sorores,
Affinem, castrum, templa, Lyceæ vides.
Nunc iterum cernis redolentes floribus hortos,
Et tibi subiectos in ditione viros.
Nunc Heidelbergæ viridaria grata revisis,
Ac nemorum saltus, sancte FRIDRICE, tuos.
Nunc quoque pertentant meritò mihi gaudia mentem,
Ac animus curis evacuatus ovat,
Quòd mihi te Dominum saluum reducemque videre
Hoc vultu liceat luminibusque, meum.
Sit tibi nunc igitur meritò pro dotibus istis
Gloria, laus & honor debitus, alme DEVS.*

Iam

*Iam majestatem celebramus carmine leto,
Tollimus & sanctum nomen ad astra tuum.
Iam tua commerito laudamus numina cultu,
Dicimus & grates magnificando tibi.*

*Denique, summe DEVS, precibus te quaesumus omnes,
Solventes justè debita vota tibi.
Sis clypeus Regi, cui magna BRITANNIA servit,
Sis arx, sis scutum praesidiumque sacrum,
Ne latus illius furtim petat hostis iniquus,
Afferat aut tacitis mixta venena dolis.
Sit Rex IACOBVS salvus, Reginaq; salva,
Regia progenies salva sit atque genus.
Sacra PALATINÆ domui sis anchora, sisque
Turris in adversis auxiliumque potens;
Floreat ut multo rerum gens utraque fructu,
Efferat et pietas altius agra caput.
Sic tibi gratus erit semper Germanus & Anglus,
Ac erit in laudes area lata tuas.*

C. V.

Subjectissimus

M. ALEXANDER BECCERVS,
pastor Heidelbergæ in æde
D. Petri.

SLUB DRESDEN



3 3293850

Hist. Rhein. inf. 162, 4

H. Rhein. inf. 162

